

vincia visitationis et reformationis officium duximus committendum. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus commissam tibi sollicitudinem sic laudabiliter exequaris, quod gratiam sedis apostolicae de bono in melius valeas promereri, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani V. Kalend. Maii, pontificatus nostri anno primo.

Cum igitur non possimus loca singula personaliter visitare negotiis ecclesiae impediti, plenam gerentes de vestra discretione fiduciam, qua fungimur vobis auctoritate mandamus, quatinus universas ecclesias conventuales tam regulares quam etiam seculares et archidiaconatus Misnensis civitatis et diocesis vice nostra visitare curetis, sollicitius perquirentes quae et ecclesiarum et personarum canonicum statum deformant, maioribus autem nostrae correctioni servatis, alia reformetis, sicut deo velit de hoc reddere rationem. Ceterum procuraciones nobis debitas per vos congrue taxatas a praedictis ecclesiis et clero nihilominus expetatis¹⁾ contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Datum Pragae VI. Kalend. Octobris anno domini millesimo CC^o. XLIII^o., pontificatus nostri anno quintodecimo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; das Siegel abhanden gekommen.
Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 63.

1) *expectatis* Orig.

No. 128. 1244. 25. Dec.

P. Innocenz IV. beauftragt den B. Conrad die auf den Domherrn Wilhelm zu Cammin gefallene Wahl zum Bischof zu untersuchen und wenn Bedenken nicht entgegenstehen, demselben die Weihe zu ertheilen.

Innocentius episcopus etc. venerabili fratri .. episcopo Misnensi salutem etc. Dilectus filius C. subdiaconus noster, praepositus et capitulum Caminensis ecclesiae ad nos nullo medio pertinentis sua nobis insinuatione monstrarunt, quod ipsi ea vacante, praefixa electioni die convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, Willelmum eiusdem ecclesiae canonicum in minoribus ordinibus constitutum, virum utique providum et discretum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in pastorem ipsius ecclesiae unanimiter et concorditer postularunt, nobis humiliter supplicantes, ut admittere postulationem huiusmodi dignaremur et eidem Willelmo, cum in remotis nimis existens partibus propter paupertatem Caminensis ecclesiae apostolicam sedem adire nequeat, impendi munus consecrationis in illis partibus mandaremus. Mandamus, quatenus inquisita de modo postulationis, studiis postulantium et postulati meritis diligentius veritate, si postulationem ipsam inveneris de persona idonea concorditer celebratam, non obstante impedimento huiusmodi auctoritate apostolica admittas eandem, et admissa ea eidem W. debitam obedientiam et reverentiam exhiberi facias ac munus consecrationis impendas, recepturus ab eo postmodum pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solitae iuramentum iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin ea non admissa, facias eidem ecclesiae de persona idonea per electionem canonicam provideri. Contradictores etc. Formam autem iuramenti,